



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Quarta. Utrum Angelus, & Anima rationalis specie differant?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

cedo; in primo fieri nego antecedens; Ratio est, quia ut dixi, anima est ens incompletum, adeoque natura sua appetitu innato exigit primo produci cum suo naturali complemento, estd possit postea sine illo conservari. Confirmatur, quia Deus tanquam Author naturæ debet omnia in suo esse perfecto producere, imò & conservare quamdiu agentia contraria id non impediunt, ergo cum in prima animæ productione nullum contrarium petat illius productionem extra materiam debet quasi obligari Deus ad eam producendam cum naturali suo complemento. Quòd autem postea eam conservet incompletam provenit à contrariis agentibus quæ unionem illius dissolverunt, unde non debet refundi in Deum, sed in causas creatas. Ad confirmationem ajo disparitatem esse penes majorem & minorem dependentiam. Adde quòd formæ pendent à materia tanquam ab anima sustentativa, quæ semper egent tam in fieri, quam in conservari, quia semper producantur, & conservantur eductiva, id est per actionem generativam. Anima vero rationalis non pendet à materia nisi velut à conditione, idque tantum in primo fieri ob rationes allatas.

**Arguitur secundo:** Impertinens est animam exuisse, aut non exuisse in materia ut postea exiit sine illa. Respondeo negando assertum, quando enim supponitur in materia exuisse, supponitur jam satisfecisse muneri ad quod naturâ suâ ordinatur, & Deum egisse uti Authorem naturalem, quapropter poterit separata existere, locus autem est quando non supponitur suo muneri satis fecisse.

**QUÆSTIO IV.**

*Utrum Angelus & anima rationalis distinguantur specie?*

**I.**  
*Explicatur mens Scoti.*

**Præclare** Doctor subtilis materiam hanc examinat 2. d. 1. q. 1. habetque pro composito, quòd Angelus & Anima differant specie, quamvis ibidem videatur dubitare de intellectu, verumtamen hoc non facit alio fine, quam ad improbandam rationem nonnullorum, qui per ordinem ad intellectum distinguunt Angelum & Animam, nam si potentia intellectiva essent realiter distincta à substantia animæ, & Angeli, ut distinguunt nonnulli, cur non (arguit Doctor) posset eadem potentia specie in utroque sicut potentia visiva in Leone, & potentia visiva in equo sunt ejusdem speciei, licet Leo, & equus specie differant; sic etiam unitates rerum sunt ejusdem rationis in homine & leone, licet homo & leo sint diversæ; si vero non distinguantur, ut est nostra sententia, tunc bene sequitur si intellectivæ potentia sunt specie distinctæ, etiam erunt ipsæ substantia, quibus sunt identificata. Itaque

**II.**  
*Anima & Angelus distinguuntur specie.*

**Dico I.** Anima nostra specie distinguitur ab Angelo. Ita Doctor subtilis supra.

**Probatur** cum eodem primo, quòd forma creata est nobilior, tantò distinguatur in plures gradus essentialis, ut patet, ideo enim sunt plures formæ mixtorum, quam clemento-

rum, & plures formæ animatorum, quàm animatorum, ergò etiam erunt plures spectanda natura intellectiva, cum hæc sit perfectissima, ergò Angelus & anima rationalis specie differunt.

**Probatur secundo:** Forma eadem rationis, & speciei habent eandem rationem perficiendi, sed anima rationalis est perfectiva corporis organici, ut forma, Angelus autem non est naturaliter perfectivus, ergò.

**Probatur tertio:** Diversæ speciei potentia consequuntur diversam substantiam, cui identificantur, sed intellectus Angelicus est diversæ speciei, ergò etiam Angelus, & anima. **Probatur minor,** quia intellectus Angelicus non est ex natura sua intellectivus dependenter à phantasmaticibus, intellectus vero humanus est, ergò; minoris veritatem elegenter describit Mellissius Doctor serm. 5. in Cantabrigiæ his verbis: Porro autem super celestia spiritus abest que adjutorio corporis, & absq; intus hominis, quæ in se per corpus sentiuntur (phantasmaticibus) hæc sunt scilicet vicinitate, ac vivacitate naturæ, spiritus apprehendere, summa & intima penetrare. Autem hæc Apostolus intellexit, qui cum diceret in spiritu Dei per ea, quæ facta sunt intellectu confirmantur, accipit protinus, à creatura à mundi? Numquam, non enim à creatura Cæli, non ita. Quo enim in visiva ratione, & terra incolæ spiritus ex consideratæ subtilium proficiens, gradatim quodam modo qualitate mirum pervenire, ad ille Cælestium inhabitatæ prima subtilitate, ac sublimitate suâ in omni videret, nullo corporeæ conjunctæ, rei informata nature. Unde licet lib. 5. de consil. cap. 3. dicitur: Siquidem tui & Angeli opem, miram, continentem unitatem rationis specificam, sed genericam & communem.

**Probatur Conclusio quarto:** Quia ens completum, & incompletum differunt specie, sed Angelus est ens completum, anima incompleta, quia ordinatur ad completionem & constitutionem hominis, ergò. Hinc etiam Doctor subtilis docet, quòd priori anima & Angelus distinguantur, quia hic talis natura est, & illa talis per ordinem ad se, non quidem quasi duæ species, sed sicut species, & pars speciei, quia anima non est propria species, sed pars speciei, & tamen ipsa est ratio distinguendi suam speciem cuius est pars. Sic in contrarium.

**Opponitur** Autoritas D. Augustini de libero arb. lib. 3. ubi dicit: Angelus & anima sunt naturæ pares, sed officio impares, sed patet in natura non arguit differentiam specificam, ergò. Respondeo primo Angelum & Animam esse in natura pares secundum gradum genericum intellectus naturalis, non vero secundum gradum specificum. Respondeo secundum: Et forte magis ad mentem D. Augustini. Animam & Angelum esse pares in appetitu ad infinitum bonum, ex eo, quòd nec illa, nec ipsa satiatur, nisi per possessionem infiniti boni. Eodem modo exponitur alius textus lib. de quantitate animæ, ubi dicit: Quæ alius domus

tendam est, Animam humanam non esse Deum, ita praesumendum inter omnia, quae creavit Deus, nihil esse propinquius ipsi Deo. Quia in lib. II. Civit. cap. 5. ait, quod Angelica natura, caetera quae Deum condidit naturae dignitate antecedit.

**Instatur:** Sequeretur, quod Angelus quilibet perfectius possideret infinitum & summum bonum, quam quilibet Anima, quia si secundum totam speciem sunt alterius naturae, etiam quilibet Angelus erit perfectior quilibet Anima, & cum perfectionem naturae sequatur capacitas possidendi objectum, evidenter sequitur, quemlibet Angelum perfectius possiderum; sed hoc est falsum, quia Christus Dominus perfectius possidebit, quam omnes Angeli, & multi Sanctorum, pluribus angelis, ergo. Respondeo negando sequelam, quia licet quilibet Angelus quilibet Anima sit perfectior, non tamen perfectius quilibet possidebit summum bonum, quia quae haec possessio non commensuratur capacitati naturali praecise, sed meritis, unde dico quod capacitas possidendi & intelligendi naturalium sequatur perfectionem naturae, & ut talium semper perfectiorem futuram capacitatem angeli.

**Urgetur:** Tota capacitas naturae satiatur per possessionem summi boni, quia totus appetitus explebitur; ergo cum capacitas angelorum sit perfectior, perfectior etiam erit possessio & satietas. Respondeo distinguendo antecedens, capacitas tota naturae satiatur secundum appetitum naturalem & innatum nego antecedens; secundum appetitum elicitem conformantem se perfecte Divinae voluntati, & ordinationi concedo antecedens, & nego consequentiam.

**Dico 2.** Non bene assignatur distinctio specifica Angeli ab Anima rationali per diversum intelligendi gradum, perfectiorem vel imperfectiorem. Est contra Alenem I, 2. Collat. de Subst. Angeli, D. Thomam & Henricum.

**Probatur primo:** Nullus est gradus essentialiter diversus in Angelo & Anima nostra, quia hic consideret in hoc, quod angelus omnia cognoscat sine discursu & Anima non, sed hoc nihil est, ergo: major est adversariorum (& suppono semper diversum gradum, alium a dependentia a phantasmatis) probatur minor, quia modus intelligendi etiam Animae congruit, nempe circa prima principia ex terminis cognita; Item Anima non discurret circa objectum beatificum. Tercio Angeli discurre

tere videntur, dum cognoscunt effectum propter causam; unde D. Bernardus supra non dicit, eos non posse discurrere & aliud ex alio cognoscere, sed non habere necesse, ut semper faciant. Quarto intellectus Angelicus finitus est, ac limitatus; ergo ei repugnat unico actu causas & effectus possibilis cognoscere, cum id solum divino competat, ergo.

**Ex dictis infero intellectum Angelicum & humanum etiam distingui specie,** cum habeant diversae speciei subjecta a quibus emanant. Sed

**Dices:** Potentiae habentes idem objectum & eodem actu specie non differunt, sed intellectus angelicus, & humanus habent idem objectum & eodem actu, nam in quocumque objectum tendit unus, potest & alter, idque mediantibus actibus ejusdem rationis videlicet apprehensione, judicio & discursu, ergo: major patet, tum quia potentiae dicuntur communiter specificari ab objectis; tum, quia non potest aliunde ostendi, ex quo eorum distinctio colligeretur. Respondeo negando majorem, cujus probationem primam distingo sic: Potentiae specificantur ab objectis in hoc sensu, quod quae habent specie diversa objecta, debeant specie distingui, concedo; in alio sensu seu quatenus vellet, quod potentiae diversae speciei non possint tendere in eadem specie objecta, nego, hoc enim falsum est, ut patet tum exemplo intellectus & voluntatis, quae tendere possunt in eadem omnino objecta; tum a paritate habituum supernaturalium & naturalium, qui specie distinguuntur, quamvis omnino idem sit eorum objectum. Secundam probationem absolute nego, & dico distinctionem potentiarum illarum colligi posse ex rationibus Conclusionis, scilicet, vel ex eo, quod una dicat necessario respectum, ad quid specie distinctum ab omni alio, ad quod dicit alia respectum; vel ex eo, quod dimanent a subjectis, seu suppositis distinctis qua talibus. Posset etiam illa distinctio desumi ex eo, quod una potentia ex illis facilius discurrere possit circa objecta eodem modo utrique proposita & apprehensa, quam alia; vel denique ex eo, quod plura objecta simul distincta una cognoscere possit, quam alia, quae omnia de humano & Angelico intellectu verificantur.

VI. Etiam intellectus Angelicus & humanus distinguuntur specie.

Appetitus naturalis non satiatur.

V. Non bene assignatur distinctio eorum per gradum ad intellectum.

